Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.iij.

uni opponatur sed plura quod principaliter et per se
est intelligendum. Tamen secundum consideraciones di-
uersas sepe uni pluribus opponatur inuenitur.
Unde quilibet color medius opponitur alijs medijs
et etiam ambobus extremis quia uiriditas opponitur
rubedini et etiam nigredini et etiam liuidini
Non est nunc proposita de contrarietate loqui sed hoc tamen dixi
ut ex hoc non esse conueniens reprehendatur. Si unum
uicium pluribus uirtutibus opponatur. Dicamus er-
go quod superbia opponatur fidei quia fides intellectum
humiliat hec excecat. fides in obsequium christi intel
lectum captiuat hec contra christum eleuat Unde omnes
errores et que contra fidem inuenta sunt ex superbia pro-
cesserunt. Secundo ira opponitur spei quia illa
irascibilem erigit hec subuertit illa spem in
deo ponit hec desperacionem inducit Nam si ira
uideatur irascibilem erigere et ad uindictam in-
citare hoc non est eam erigere sed peruertere quia cum sit iras-
cibilis detestari malum ad quod per spem demorari eri-
gitur per iram ad eius oppositum inclinatur. Ter-
cio inuidia opponitur caritati quia caritas
proximum diligit inuidia eum odit caritas in malo
proximi dolet. Inuidia uero gaudet. Quarto
accidia opponitur prudencie quia prudencie est eli-
gere bona tristicia eligere mala tristis enim refu-
git bona uerba bona consilia et bona opera Unde
tedet eum ad bona et gaudet ad mala. Sicut
enim prudens consilium sapiencioris requirit
Sic uero tristis omne bonum consilium refugit pru-
dens omnia bona laudat et approbat Sed tristis
omnia bona condempnat. Quinto auaricia omnia
contra deum stringit. Sexto gula opponitur conti-
nencie siue temperancie quia superflua abicit Gula
superflua semper querit. Septimo luxuria fortitudini
est contraria quia sicut uirtus illa facit homines fortes Sic